



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Dei matre[m] sine dolore peperjsse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

dum; verum etiam *felix & validum*, dextera enim symbola est roboris & felicitatis. Hebraei enim, cum qui strenuus, acer, & fortis est, *virum dextera*, aut *virtutis* solent nuncupare. Quam autem Beniamita validi fuerint, demonstravit bellum, quod soli, contra omnes tribus Israel gesserunt. Hinc clara est compensatio. Magna magnis constant.

5. Mihi à diuina prouidentia etiam videtur, in hac re, Dei matris excellentia Mundo demonstrata. Sicut enim illam peccatum originis non maculauit, ita neque maledictio Eue comprehendit. Omni mulieri dictum reliqua est, *in dolore paries filios*, soli Mariae Deiparae id dictum non est; vt vel merito, sicut in pariendo excepta est à communi poena, ita etiam in nascendo excepta videatur à culpa. Et profecto res est supra omnem naturam, sine dolore omni peperisse. Nemo autem est, qui Virginem hanc in partu permansisse crediderit, & non etiam peperisse, sine dolore, affirmarit. Hæc enim duo, sese necessitate quadam trahunt. Ita vnanimi consensu SS. PP. docuerunt, conuenienter Prophetæ de ea dicenti: *Antequam parturiret, peperit; & antequam veniret partus eius, peperit masculum*. Septuaginta legunt: *Antequam veniat dolor parturientium, effugit, & peperit masculum*. Subscribunt duo Gregorij, Nazianzenus & Nyssenus, itemque Damascenus, Augustinus, Bernardus & alij. Quorum Patrum & autoritas, & rationes pondus habent. Aiunt enim maximè decuisse Christum, vt ortu suo, nullum prorsus, etiam temporale Matri afferret, incommodum, præsertim quia facillimè poterat eiuscemodii roccumentum vitari. Damascenus & alij PP. eam potissimum rationem afferunt, quòd dolor partus libidini & voluptati conceptionis respondeat. S. Damasceni verba sunt: *Quam voluptas non anteiuuit, nec dolor quidem in partu sequutus est*. D. Thomas Philosophicam addit rationem. *dolor parientis, iniquiens, causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur: Christus est egressus ex clauso utero matris, & sic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuit; & propter hoc, in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio. Sed fuit ibi maxima incanditas, ex hoc, quòd homo Deus est natus in mundum, secundum illud Isaia 35.*

Germinans

VI.

Isa. 66. 7.

Nazianz. de Christo Patiente in Tragœd. Nyss. orat. 1. de Resurre& Damascen. l. 4. de fide. cap. 35. Aug. serm. 14. de Natiu. Bern. serm. 3. In Missus est. S. Thom. 3. 2. q. 35. a. 6.

Germinans germinabit, sicut lilium, & exultabit latibunda & laudans. Duo hinc errores corriguntur. Primus est in lib. de ortu Saluatoris apocrypho, in quo leguntur ad Christi natiuitatem venisse obstetrices; quibus opus non erat. Vnde postquam diuinissima Mater peperit filium suum primogenitum, ipsa pannis eum inuoluit, & reclinavit in praesepio, non obstetrices, quarum aliàs hoc solet esse officium. Nulla ibi, obstetrix, ait S. Hieronymus, nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsa & mater, & obstetrix fuit. Pannis, inquit, inuoluit infantem, & posuit in praesepio. Quae sententia apocryphorum deliramenta conuincit. Inter, quæ est & alter ille vel error, vel simplex puerperij representandi modus; quo, in nonnullis templis, incemerata Virgo, tanquam in lecto jacens, more scilicet ceterarum muliercularum è puerperio debilitata, proponitur, ad excitandam, in prægnantibus, aut puerperis, pietatem. Quanquam enim vel grauidæ, vel enixæ rectissimè diuinam puerperam venerentur, non debent tamen, ad hanc pietatem trahi eo genere imaginis, quo facilè possunt induci, vt putent DEI quoque Matrem, cum dolore peperisse, atque ex debilitate virium indignis, vt, per sex hebdomades, in lecto jacens, vires recuperaret. Prudenter igitur doctiores Parochi, remota è templis suis hac simplicitate, Christi in præsepio iacentis, & Matris eius adorantis illum, substituunt simulachrum. Nullum enim hîc est periculum errandi, nisi apud eos, qui errore maiore sibi persuaderi sinunt, statuas, à Catholicis, tanquam DEOS & DEAS, patriæ cultu, adorari. Quod qui credunt, vel hinc deprehendant, quàm malè credant.

VII.

Gen. 3. 16.

Gen. 3. 18.

Postquam pepererunt reliquæ matres, sordibus puerperij obnoxii sunt, molestia vtique etiam non minima. Aio & hanc molestiam pertinere ad illam pœnam, *In dolore paries filios*, esse, quæ quandam illius partem; nihil enim obstat, aliquid simul & in pœnam, & ex natura esse. Ita enim etiam dictum est de terra, quæ natura sua parit spinas & tribulos, *spinæ & tribuli pariet tibi*, in peccati vindictam. Si ergo naturalis partientium dolor, ex diuisione, aut violenta compressione, vel relaxatione partium ortus, ordinariè impediri non debet, & simul esse potest